



UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS Part IB  
Paper 4

MODERN AND MEDIEVAL LANGUAGES TRIPOS Part IB  
Paper GL 12

---

Friday 8 June 2007 9 to 12

---

ALTERNATIVE PASSAGES FOR TRANSLATION FROM  
LATIN AUTHORS

*Answer all the questions.*

*Use a separate booklet for each Section.*

**The Examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your number (not your name) on the cover-sheet of each  
Section booklet.*

**Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave  
disadvantage.**

STATIONERY REQUIREMENTS  
20 Page Booklets x 2  
Rough Work Pad x 1

SPECIAL REQUIREMENTS  
None

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate:*

**A1** *A catalogue of spectacles put on by Nero, some of which were shocking, others merely extraordinary*

Hos ludos spectavit e proscaeni fastigio. munere, quod in amphitheatro ligneo regione Martii campi intra anni spatium fabricato dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem. exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores sescentosque equites Romanos et quosdam fortunae atque existimationis integrae, ex isdem ordinibus confectores quoque ferarum et uaria harenae ministeria. exhibuit et naumachiam marina aqua innantibus beluis; item pyrrichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam diplomata ciuitatis Romanae singulis optulit, inter pyrricharum argumenta taurus Pasiphaam ligneo iuuencae simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt; Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit ipsumque cruore respersit. nam perraro praesidere, ceterum accubans, paruis primum foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueuerat. instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum gymnium equestre, quod appellauit Neronia; dedicatisque thermis atque gymnasium senatui quoque et equiti oleum praebuit. magistros toto certamini praeposuit consulares sorte, sede praetorum.

SUETONIUS *Nero* 12.1–3

*proscenium, i, n.*: stage, theatre

*fastigium, i, n.*: topmost point

*confector ferarum*: wild beast fighter

*pyrricha, ae, f.*: pyrrhic dance (traditional exercises performed with weapons)

*argumentum, i, n.*: demonstration, portrayal

*perraro*: very rarely

*podium, i, n.*: balcony

**A2** *Cicero muses on the present political factionalism, but with the hope that the current move in the direction of reconciliation might provide some more optimistic food for thought*

Diuersae uoluntates ciuium fuerunt, distractaeque sententiae. non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. erat enim obscuritas quaedam; erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi quid deceret, non nulli etiam quid liceret. perfuncta res publica est hoc misero fatalique bello: uicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; neque omnis quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio aut morte dignos iudicaret. arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. ingratus est iniustusque ciuis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum; ut etiam ille melior sit qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit. quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia uideri potest. sed iam omnis fracta dissensio est armis, exstincta aequitate uictoris: restat ut omnes unum uelint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis.

CICERO *Pro Marcello* 30–32

## SECTION B

*Translate:***B1 (both passages)***Horace invokes Venus*

O Venus regina Cnidi Paphique,  
 sperne dilectam Cypron et uocantis  
 ture te multo Glycerae decoram  
 transfer in aedem.

feruidus tecum puer et solutis  
 Gratiae zonis properentque Nymphae  
 et parum comis sine te Iuventas  
 Mercuriusque.

5

HORACE *Odes* 1.30*Horace has fallen for Glycera—again!*

Mater saeua Cupidinum  
 Thebanaeque iubet me Semelae puer  
 et lasciua Licentia  
 finitis animum reddere amoribus.

urit me Glycerae nitor  
 splendentis Pariò marmore purius;  
 urit grata proteruitas  
 et uoltus nimium lubricus aspici.

5

in me tota ruens Venus  
 Cyprum deseruit, nec patitur Scythas  
 aut uersis animosum equis  
 Parthum dicere nec quae nihil attinent.

10

hic uiuum mihi caespitem, hic  
 uerbenas, pueri, ponite turaque  
 bimi cum patera meri:  
 mactata ueniet lenior hostia.

15

HORACE *Odes* 1.19

*proteruitas, atis, f.:* boldness, forwardness  
*lubricus, a, um:* seductive, dangerous  
*caespes, itis, m.:* turf (as used to make an altar)  
*bimus, a, um:* two years old

[TURN OVER

**B2** *More advice to the lover: 'giving in' can often be successful*

Si nec blanda satis, nec erit tibi comis amanti,  
 perfer et obdura: postmodo mitis erit.  
 flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus: 180  
 frangis, si uires experiere tuas.  
 obsequio tranantur aquae: nec uincere possis  
 flumina, si contra, quam rapit unda, nates.  
 obsequium tigresque domat Numidasque leones;  
 rustica paulatim taurus aratra subit. 185  
 quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?  
 succubuit meritis trux tamen illa uiri.  
 saepe suos casus nec mitia facta puellae  
 flesse sub arboribus Milaniona ferunt;  
 saepe tulit iusso fallacia retia collo, 190  
 saepe fera toruos cuspide fixit apros:  
 sensit et Hylaei contentum saucius arcum:  
 sed tamen hoc arcu notior alter erat.

OVID *Ars amatoria* 2.178–193

**B3** *Either (a)*

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors  
 abstulit. o misero frater adempte mihi, 20  
 tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,  
 tecum una tota est nostra sepulta domus,  
 omnia tecum una perierunt gaudia nostra,  
 quae tuus in uita dulcis alebat amor.  
 cuius ego interitu tota de mente fugauit 25  
 haec studia atque omnes delicias animi.  
 quare, quod scribis Veronae turpe Catullo  
 esse, quod hic quisquis de meliore nota  
 frigida deserto tepefactet membra cubili,  
 id, Mani, non est turpe, magis miserum est. 30  
 ignosces igitur si, quae mihi luctus ademit,  
 haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.  
 nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,  
 hoc fit, quod Romae uiuimus: illa domus,  
 illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas; 35  
 huc una ex multis capsula me sequitur.  
 quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna  
 id facere aut animo non satis ingenuo,  
 quod tibi non utriusque petenti copia posta est:  
 ultro ego deferrem, copia siqua foret. 40

CATULLUS 68.19–40

**Or (b)**

Et imposuerat Herculi minime uafro nisi fuisset illic Febris, quae fano suo relicto sola cum illo uenerat: ceteros omnes deos Romae reliquerat. 'iste' inquit 'mera mendacia narrat. ego tibi dico, quae cum illo tot annis uixi: Luguduni natus est, Marci municipem uides. quod tibi narro, ad sextum decimum lapidem natus est a Vienna, Gallus germanus. itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. hunc ego tibi recipio Luguduni natum, ubi Licinus multis annis regnauit. tu autem, qui plura loca calcasti quam ullus mulio perpetuarius, Lugudunenses scire debes, et multa milia inter Xanthum et Rhodanum interesse.' excandescit hoc loco Claudius et quanto potest murmure irascitur. quid diceret, nemo intellegebat, ille autem Febrim duci iubebat, illo gestu solutae manus et ad hoc unum satis firmae, quo decollare homines solebat, iusserat illi collum praecidi. putares omnes illius esse libertos: adeo illum nemo curabat.

SENECA *Apocolocyntosis* 6–7

**Or (c)**

Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere, maluerit praedas stultus et arma sequi.	
ille licet Cilicum uictas agat ante cateruas, ponat et in capto Martia castra solo,	70
totus et argento contextus, totus et auro insideat celeri conspiciendus equo,	
ipse boues mea si tecum modo Delia possim iungere et in solito pascere monte pecus,	
et te, dum liceat, teneris retinere lacertis, mollis et inculta sit mihi somnus humo.	75
quid Tyrio recubare toro sine amore secundo prodest, cum fletu nox uigilanda uenit?	
nam neque tum plumae nec stragula picta soporem nec sonitus placidae ducere posset aquae.	80
num Veneris magnae uiolauī numina uerbo, et mea nunc poenas in pia lingua luit?	
num feror incestus sedes adiisse deorum sertaque de sanctis deripuisse focis?	

TIBULLUS 1.2.67–84

END OF PAPER